

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3015

Auteur(s) : Renaud de Carteret [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1291, mars

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation faite en 1290 par Renaud de Carteret, Seigneur de St Ouen, avec le consentement de Philippe, son fils aîné, de toutes les donations faites par ses prédécesseurs à l'Abbaye du Mont St Michel.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 37, p. 54-62.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presentes littere pervenerint Raginaldus de Quartereit miles Constanciensis dyocesis salutem in Domino sempiternam. Noverint universi quod cum inter religiosos viros Johannem Dei gracia abbatem ac conventum monasterii Montis Sancti Michaelis in periculo maris Abrincensis diocesis nomine suo ac sui monasterii ex parte una et me militem supradictum ex altera contencio verteretur super eo videlicet quod ego miles predictus contra dictos religiosos de jure patronatus ecclesie Sancti Audoeni in insula Gersoii ad eosdem religiosos spectante in curia domini Regis Anglie coram ballivo dicte insule moveram questionem dictum jus patronatus ad me pertinere proponendo tandem bonorum virorum ductus consilio litis calumpniose mote conscientiam habens visis lectis et auditis diligenter cartis et instrumentis dictorum religiosorum veris sigillis predecessorum meorum in eisdem loquencium sigillatis que et quas religiosi prefati de predicto jure pariter et aliis ibidem contentis habebant a prosecutione dicti juris patronatus in prefata curia duxi penitus desistendum volens et consensiens bona fide prefatos religiosos omnibus in cartis et instrumentis predecessorum meorum contentis quorum et quarum tenor ad majorem rei evidenciam inferius annotatur libere pacifice ac quiete in perpetuum congaudere prout et in forma qua in eisdem cartis et instrumentis continetur confirmans eciam omni auctoritate qua possum omnes donaciones concessiones ac confirmaciones pariter et omnia in litteris et instrumentis inferius annotatis contenta que et quas spontaneus confiteor a veris predecessoribus meis datas concessas et confirmatas eisdem religiosis in puram et perpetuam elemosinam fuisse prout in eisdem litteris continetur et eas veris sigillis eorum fore sigillatas absque reclamacione aut inquietacione aliquibus mei heredum meorum seu quorumcunque aliorum a me causam habencium a predictis religiosis in perpetuum possidendas. Tenor vero prime carte talis est. 1125.

[Ici suit la Charte N° 33].

Tenor vero secunde carte talis est :

1167-8.

[Ici suit la Charte N° 35].

Tenor vero tercie carte talis est :

1185.

Omnibus fidelibus ad quorum noticiam presens scriptura pervenerit Raginaldus de Cartraio in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum ego minus sano consilio abbati et monachis Montis Sancti Michaelis de periculo maris de presentatione ecclesie de Cartraio quam Raginaldus avus meus eis in elemosinam dederat et de presentatione ecclesie Sancti Audoeni de Gerseio quam Philipus pater meus eis contulerat in elemosinam movissem in curia domini Regis Henrici questionem tandem penitencia ductus ad monasterium Beati Michaelis Archangeli veni ibique publice in conspectu totius capituli et multorum venerabilium et autenticorum virorum omnibus querelis et calumpniis quas eisdem monachis super presentationibus ecclesiarum moveram ex integro renunciavi et omnia que adversus eos clamabam pro amore Dei et antecessorum meorum salute quieta Deo et Sancto Michaeli et monachis ejus dimisi. Quapropter omnes donaciones et concessionones quas fecerunt Raginaldus avus meus et Philipus pater meus de universis rebus et possessionibus quas Deo et Sancto Michaeli et monachis ejus dederunt in elemosinam concedo et hac carta mea confirmo in liberam et perpetuam elemosinam ecclesie Montis Sancti Michaelis et monachis ibi Deo servientibus videlicet ista : ecclesiam de Cartraio cum presentatione ejus et decima totius parrochie et omnibus ad ecclesiam illam pertinentibus terram etiam de elemosina Regis que est Sancti Germani in Gerseio decimam quoque quam Sanctus Germanus habet in parrochia Sancti Audoeni que omnia dedit eis Raginaldus avus meus. Confirmo etiam eis ecclesiam Sancti Audoeni de Gerseio integre et perfecte cum presentatione ejusdem ecclesie et universis ad eam pertinentibus preter id solum quod de decimis frugum monachi Sancti Salvatoris et Sancti Moniales habere debent ; capellam quoque Sancte Marie cum omnibus pertinentiis suis, mansionem etiam monachis congruam juxta eandem capellam, que omnia Philipus pater meus dedit eis concessit et confirmavit. Approbo quoque et ratam habeo et confirmo dimissionem et quietationem quam pater meus fecit de straminibus frugum et tribus sextariis avene, pellicia, bottis, mapulis, cereis, pelvibus, que cum aliquando a monachis requireret omnia pater meus pro amore Dei primum et ego postea quietam clamavimus. Adicio etiam de mea donatione propria unam acram terre que est ante domum Sancti Michaelis apud capellam posita et pro amore Dei et salute mea et antecessorum meorum dono et confirmo ecclesie Montis Sancti Michaelis et monachis ejus in liberam et perpetuam elemosinam. Quare volo et concedo et per hujus carte mee confirmationem stabilio ut predicti monachi omnes elemosinas supradictas cum omnimodis rebus consuetudinibus et libertatibus ad eas pertinentibus teneant et perpetuo possideant bene et in pace quiete et honorifice sicut liberam et quietam elemosinam. Et propter hanc concessionem dederunt michi abbas Robertus et monachi de caritate ecclesie viginti libras Andegavensium. Concessum est etiam michi meisque successoribus sicut et ante me patri meo concessum fuerat ut unus de propinquioribus consanguineis meis sit in ecclesia eorum successive monachus dummodo clericus sit vel miles persona conveniens quo vivente non poterimus rationabiliter de alio postulare. Et cum ad Montem venerimus una nocte nobis hospicium sicut fratribus exhibebunt. Actum publice apud Montem anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo quinto, testibus Roberto priore, Guimondo suppriori, Jordano cantore, Guillelmo thesaurario, Guillelmo ballivo, Guillelmo celerario, Guillelmo elemosinario, Odone presbitero, Fulkeredo, Roberto carpentario et Vitali sacerdotibus, Matheo clerico, magistro Guidone, magistro Mauricio, Guillelmo de Fulgeriis, Alano filio comitis Henrici, Ricardo de Languetot, Luca de Stampis, Radulfo Guerino, Matheo camerario et aliis multis.

Tenor vero quarte carte talis est :

1215 ?–1254 ?

Sciant presentes et futuri quod Ego Philipus de Cartroit pro salute anime mee et antecessorum meorum in puram et perpetuam elemosinam dedi et concessi capelle Sancte Marie de La Wik et monachis de Monte Sancti Michaelis ibidem Deo servientibus viginti novem perticas terre justa manerium suum de La Wik sitas apud partem occidentalem ; quam terram Guillelmus filius Roberti Bauche de me tenuit sed quum ipsi nullam facere vellem injuriam predictas viginti novem perticas terre in feodo meo dicto Guillelmo filio Roberti Bauche ad equalem valorem excambiavi scilicet prope magnum clausum dictorum monachorum versus orientem. Istam vero donacionem ego Philipus et heredes mei bona fide et in hunc modum dictis monachis garantizare tenemur quod ipsi prenominatam terram cum antiquo manerio suo de La Wik muro vel alio pacifice et quiete claudere poterunt prout sibi melius viderint expedire. Quod ut ratum permaneat et stabile perseveret presentem cartam sigilli mei munimine roboravi.

Tenor vero quinte carte talis est :

1286.

Omnibus hec visuris Raginaldus de Cartreit miles dominus de Sancto Audoeno salutem in Domino. Noveritis quod donacionem cujusdam pecie terre sitam inter prioratum de La Wik ex parte una et terram Johannis Henrici

ex altera continentem tres virgatas parum plus vel minus quam Colinus de Vinceleis filius Thome et Felicia ejus uxor dederunt et concesserunt viris religiosiis et honestis abbati et conventui monasterii Montis Sancti Michaelis de periculo maris eorumque priori de La Wic in insula Gersoii que terra sita est sub dominio meo pro qua dictus Colinus michi tenebatur facere homagium confirmo et approbo in puram et perpetuam elemosinam pro salute anime mee et antecessorum meorum absque reclamacione aliqua mei seu heredum meorum, ita tamen quod dicta terra muro claudatur. Super predictis pro me et heredibus meis tenendis et adimplendis plenariam audienciam feci dictis religiosiis in parrochia Sancti Audoeni. Et si ab aliquo seu aliquibus contingeret predictos religiosos molestari seu impediri quin tenerent possiderent et haberent predictam terram eo modo quo prefertur, dictus Colinus obligavit voluntate mea et assensu in excambio, non vi nec metu non coactus spontaneus terram suam quam tenet in Walle maris in dicta parrochia valore ad valorem sub dominio meo usque ad restitutionem dictis religiosiis faciendam. In predictis autem nichil retinui homagium seu aliquam redibenciam sed volo quod ipsi teneant pure et integre habeant et possideant predictam terram et obligacionem prout superius est expressum, quod omnibus et singulis notifico per presentes litteras sigillo meo sigillatas in testimonium veritatis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexta die dominica ante festum Beate Marie Madalegne.

Que omnia et singula prout in predictis cartis sunt expressa superius et ut prefertur confirmata ac eciam approbata volo ac concedo absque mei aut meorum calumpnia in perpetuum a predictis religiosiis pacifice possideri, Philippi filii mei primogeniti ad omnia premissa et singula accedente concessu. Confirmacionem quoque quam (sic) predicti religiosi habent a bone memorie Ricardo quondam episcopo Constanciensi que sic incipit : [Circa 1168.] Dilectis in Christo sancte matris ecclesie catholicis omnibus tam presentibus quam futuris etc. et sic terminatur : sub testibus istis Ricardo, Willelmo archidiaconis, Petro, Roberto, Petro de Sancta Susanna capellanis nostris, Hamone decano, Stephano ejusdem ecclesie presbitero, et de laicis Alano de Winceles et Gisleberto de Hoga, Hugone de Monte et aliis multis inter cetera comprobantes (sic). In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo domini Regis Anglie quo ballivus insule predicte in loco predicto solitus erat uti ad suplicationem meam et ad majorem rei geste memoriam presentibus hiis appenso, ac sigilli mei proprii munimine predictis religiosiis concessi sigillatas. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo mense Marcii.